AD QVODLIBETARIAM QVAESTIO MEDICA MATVTINIS EXAGITANDA DISPVTATIONIBVS, IN SCHOLIS MEDICORVM PARIS. DIE IOVIS I. MARTII. M. MICHAELE TOVTAIN DOCTORE MEDICO MODERATORE.

Soluſne genitor ſpiritus conformat?

CORPVS omne phyſicum materiâ formâque perficitur: hæc (hominis formam excipio, quæ diuinitùs accedit corpori) ex illius ſinu, qui formarum omnium præteritarum, præſentium, & futurarum ſucceſſiuè capax eſt, perpetuóque appetens, educitur: Sicque illa ſemper vnâ remanente, hac vero ſæpius corruptâ, nouâque ſubinde ſuccedente [ad id concurrente cœlo ſuo lumine calorem ab elementari diuerſum, longeque præſtantiorem continente, variaſque variis cœli motibus vires in hæc inferiora promente] corporum omnium quæ ſublunaris mundus complectitur fit propagatio: Elementorum quidem bina qualitate primaria: Vtraque actiua, altera tamen minùs intenſa præditorum, per tranſmutationem, quę facilior aut difficilior exiſtit prout mutanda cum gignendis συνβολίζει.

CORPORVM vero omuium ex primis ortorum vitâ carentium per miſtionem aut appoſitionem, vt metallorum: viuentium denique per generationem ſeu procreationem. Horum quædam ad motum localem inepta, inque ſolam nutritionem & procreationem incumbentia in ſe ipſis nullo alterius cõgreſſu generant. Quædam vero ſexu inter ſe diſtincta non niſi maris & fœminæ coitu (quo magis ſanæ fiunt mulieres, hinc morbis virginum & pallidis coloribus venus optima) procreare aut procreari poſſunt. Quorum tamen nonnulla ſine ſeminis emiſſione aut exceptione, cætera ex ſemine ſibi ſimile progignunt: hæcque diuerſâ generandi facultate, diuerſiſque ideò non ſolo ſitu, ſed formâ & conſiſtentiâ inſtrumentis, natura ſui conſeruatrix, æternitatiſque appetens donauit.

MARI quidem conceſſit vt eſſet generationis principium efficiens, vimque ſemen prolificum conficiendi, & in alio generandi: Vis illa σπερματοποιητικὴ teſtibus (quorum priuatio vim omnem generandi adimit) inſidet, qui à partibus quibúſque tùm ſolidis tùm mollibus ſanguinem puriſſimum, vltimi alimenti reſiduum, materiam ſeminis ingenitâ vi trahunt, quam vaſa ſpermatica præparantia ſic, tùm vi propriâ tùm vicinorum teſtium irradiatione mutant, vt & colore & ſubſtantiâ propè iam ad naturam ſeminis accedat: Ita præparatus ſanguis è vaſis ſpermaticis, in vnum vtrinque coëuntibus, in epididymidas, teſtiumque ſubſtantiã ſpongioſam, per poros, nec non vaſorum filamenta decidit: vbi à teſtibus ſemen excoctum (quod probâ temperie, corporis εὐκρασίαν, intemperie morbos à ſanguine deteriores efficit) in paraſtatas ad vſum deponitur: hinc per vaſa deferentia, perque meatum penis vrinæ, ſeminique communem emittitur.

FOEMINÆ verò facultatem in ſe, licet ab alio, progignendi, patienſque generationis principium conferendi. Ad quos vſus ei natura tribuit vterũ (morborum omnium parẽtem) pluribus conſtantem partibus, quarum ad generationem præcipuæ, collum, quo ſemen virile reciperet: fundum, quo maſculi ſemen poſſet trahere; attractum ſuo (quod ſtatim in ipſo coitu in vteri fundum per ipſius cornua emittit, ni prægnãs ſit, tunc enim in ceruicem longiore viâ eiaculatur) perfectè miſcere tùm mole cùm viribus, vtrumque mixtum exactè complecti, retinere, fouere; denique vim in ſemine latentem ad officium exſuſcitare. Sicque conceptio perficitur, cuius lac in mammis τεκμήριον. Quàm tamen præcedunt genitalium συμμετρία, vteri laudabilis temperies & ſtructura, corporis habitus: Vnde paruæ mulieres ad conceptionem maioribus præſtantiores: tenues craſſis: albæ rubicundis: nigræ liuidis. Inepta autem mulieris forma, ætas iunior vel prouectior, inuiti coitus, ſterilitatis occaſio eſt.

QVÆ vbi præſtitit vterus ſuas ferè peregit partes, cętera facultati procreatrici ſemini à parentibus, maximè verò à maſculo, inditæ, cõmittit: Quæ vis ad nutrientem referenda, futuræ animæ vicaria, vtitur ſpiritu in calido humido reſidente, caloris & facultatum omnium rectore, qui vi vteri experge factus, ingens opus adgreditur, partium ſingularum formationem, perficiens hoc ordine. Partes ſeminis craſſiores ad ſuperficiem eiicit, ex quibus tres membranæ gignuntur, chorion, allantoides & amnios: Quarum prima vteri parietibus adhęret per cotyledones ſeu vaſorum in intimam vteri ſuperficiem deſinentium oſcula. Incœptis membranis ſpiritus per ſemen quoquouerſum motus, tres partes principes & ſpermaticas omnes ſimul delineat. Quas tamen non eodẽ perficit tempore. Iecur ſiquidem primum abſoluitur, tùm cor, poſtremò cerebrum. Partes carneæ nequidem inchoantur primis diebus, ſed earum paulatim adpellente materiâ, materno ſcilicet ſanguine, ex quo ſpiritus genitor eas conformat, ſicut priùs ſpermaticas ex ſemine.

Ergo ſolus genitor ſpiritus conformat.

ASSERIT ANDREAS DV CHEMIN SENOMANENSIS LAVALÆVS ANNO DOMINI. 1601.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Bonauentura Hachette.	*M. Germanus Clerſeller.*	*M. Albertus le Feure, M. R.*
M. Petrus Collier.	*M. Robertus le Secq.*	*M. Claudius Rouſſelet.*
M. Franciſcus Ellain.	*M. Richardus Marces.*	*M. Marcus Myron. M. R.*